

DISSERTATIO QUARTA DE CRIMINIBUS SINGULARIBUS CLERICORUM.



D duplex genus referri com-
modè possunt singularia
Clericorum delicta, cum
alia sint, quibus contra of-
ficium unicuique manda-
tum peccatur; alia, quibus violantur disci-
plinæ Ecclesiasticæ leges omnibus Cle-
ricis generaliter & sine discrimine indic-

tæ ad servandam singularem morum ho-
nestatem, quæ deceat Dei Ecclesiæque
administros. De utroque delictorum ge-
nere pauca hîc adnotabo; neque omit-
tam nonnulla subjicere, quæ spectant
formam judiciorum criminalium adver-
sus Clericos instituendorum.

CAPUT I.

De Clericis contra officium sibi mandatum delinquentibus.

Huc referendus est titulus 22. libri 1.

Leges ecclesiasticæ, quæ Clericos
certis officiis adstringunt, non adeo
generales sunt, ut ad singulos eorum
gradus sine discrimine æquè pertineant;
modò enim diversitas suscepti ordinis,
modò diversitas muneris, modò diversitas
beneficiorum, quibus potissimum
foundationum tabulæ formam præbent,
diversas obligationes inducunt. Præcipua
beneficiorum onera spectant vel psalmo-
diam divinam, vel residentiam, vel præ-
dia, & jura, ipsos etiam fructus benefi-
ciorum. Verùm nihil est, quod de istis
in præsentia sermonem instituam,
postquam multa tradiderim in tractatione
de beneficiis ecclesiasticis. Tantùm
dicam, unumquemque ex Clericis non
tantùm vi beneficii, si quod habent, sed
etiam vi ordinationis suæ ad residendum
in Ecclesia, cui adscripti fuerint, tene-
ri proptereaque nemini licere sine causa
ab Ordinario probata ab Ecclesia diu
abesse, etiam si ageretur de Clerico ti-
tulo patrimonii ordinato; præsertim post-

quam in Concilio Tridentino statutum
fuit, neminem etiam titulo patrimonii
ordinandum esse, nisi utilitas, vel neces-
sitas Ecclesiæ id exposulet, sess. 21. de
Reform. cap. 2., & sess. 23. de Ref.
cap. 16., ubi adjectum fuit, ut Cleri-
cis interdiceretur sacrorum exerectione,
si locum inconsulto Episcopo deseruis-
sent. Hinc fit, ut discessuri ab Eccle-
sia sua formatas, sive commendatitas
ab Ordinario litteras obtinere debeant,
faciliùs cæteroque concedendas ordina-
tis titulo patrimonii, quam ordinatis ti-
tulo beneficii, sine quibus in aliis dice-
cesibus ad Sacramenta administranda eos
admitti non liceat, dicto cap. 16. in fi-
ne sess. 23. Exempla veterum formatarum
extant apud Gratianum in can. 1.
& 2. dist. 73., quamquam ibidem per-
peram tributa sint Nicæno Concilio, &
Attico Episcopo Constantinopolitano. Sole-
bant veteres nonnullis Græcis litteris
numeralibus ex alphabetica computatio-
ne formatas litteras consignare, ne fa-

De Clericis contra officium sibi mandatum delinquentibus. 159

cilis essent imitationis. Atque eam ob-
rem utebantur septem supra viginti lit-
teris, quemadmodum docet Regino in

lib. 1. de ecclesiasticis disciplinis cap. 473.
ad designandos numeros usque ad non-
gentos, hæc videlicet ratione:

Aa	designabat numerum	1	Æ	60
Bβ.		2	Oo	70
Γγ.		3	Ππ.	80
Δδ.		4	Ϟϟ.	90
Es.		5	Ρρ.	100
Ss.		6	Σσσ.	200
Zz.		7	Ττ.	300
Hh.		8	Υυ.	400
Θθ.		9	Φφ.	500
Ii.		10	Χχ.	600
Kκ.		20	Ψψ.	700
Λλ.		30	Ωω.	800
Mμ.		40	Ϛ.	900
Nν.		50		

His positis, observandum est, du-
plicis generis fuisse numeros in forma-
tis epistolis, qui in computationem venie-
bant. Alii erant formati omnibus com-
munes; alii unicuique formatæ singula-
res, ex quibus una ab altera distingue-
retur. Communes erant litteræ initiales
Patris, Filii, & S. Spiritus, quæ erant
ΠΤΑ, redduntque numeros 80. 400. 1.
Addebatur his littera initialis Apostoli
Petri Π, reddens numerum 8.; item ad-
jiciebatur AMHN, id est amen, quod red-
debat numeros iis litteris responden-
tes 1. 40. 8. 50. Hæc invicem compu-
tata conficiunt numerum 660. Erant &
numeri singulares depromendi ex litte-
ris primùm illius, qui scriberet, dein-
de illius, ad quem scriberetur, tertio
illius, pro quo scriberetur, quarto ur-
bis, à qua scriberetur, postremò necesse-
ratur numerus indictionis. Illius, qui
scriberet, notabatur prima littera; illius,
ad quem scriberetur, secunda; illius,
pro quo scriberetur, tertia; urbis, à qua
scriberetur, quarta. Duo sunt apud Re-
ginum exempla loco suprâ commemorato.
Prius exemplum extat Ratbodi Tre-
virensis ab Rothbertum Metensem pro
Gislemaro scribentis. Prior littera R no-
minis Ratbodi efficiebat numerum 100;

secunda littera Rothberti O efficiebat nu-
merum 70., tertia littera Gislemari S.
efficiebat numerum 200., quarta littera
Trevirensis civitatis, à qua scribebatur,
V, quæ à Græcis notabatur per litte-
ram Phi, efficiebat numerum 500.
Addita indictione nona, numeri isti om-
nes efficiebant numerum 879., qui nume-
rus ejus formatæ singularis additus nume-
ro formati omnibus communi efficie-
bat integrum numerum 1539. Posterius
exemplum extat Dadonis Viridunensis ad
Ratbodum Trevirensis, pro Arduino
scribentis. Prima littera Dadonis D nota-
bat numerum 4., secunda littera Ratbo-
di A reddebat numerum 1., tertia litte-
ra Arduini R conficiebat numerum 100.,
quarta littera Urbis Viridunensis D red-
debat numerum 4. Addito numero in-
dictionis nonæ, conficiebatur numerus
singularis 118., qui unâ cum numeris
communibus formatarum conficiebat nu-
merum 778. Hæc ratio est, ad quam
duo etiam exemplaria formatarum exegit
auctor canonis 1. & 2. dist. 73. apud
Gratianum. Tribuitur primus canon Ni-
cæne Synodo, depromptus autem ex
Burchardo lib. 2. cap. 227. uti statim li-
quet ex ejusdem canonis lectione; at Bur-
chardus professus est, se ætiusse formu-
lam

Jam ex Nicæno Concilio; non sanè quòd in Nicæno Concilio ea formula exarata fuisset; sed quòd in eodem Concilio canone 15. & 16. statutum fuerat, ne sine consensu, & petita venia sui Antistitis quisquam Clericus in aliam diocesim migraret. In fine ejus canonis adnotantur litteræ π, υ, α, π, ζ, ε, ζ, ξ, α, υ, η. Potius autem scribendum erat π, υ, α, π, β, α, μ, μ, α, υ, η. Priores quatuor litteræ communes sunt formatis omnibus; littera β notabat primam litteram nominis Burchardi scribentis; littera α significabat secundam litteram Valterii, ad quem scribebatur; sequentes duæ litteræ μ, μ significabant tertiam litteram *Eomanii* (ita legitur apud Burchardum, quamquam Gratianus scripserit *Hermannum*), & quartam litteram urbis Vormatiensis. Quæ omnes litteræ junctæ communibus, & numero indicationis, reddere debebant numerum formatæ 753. Quod spectat canonem 2. dist. 73., notandum in primis est, illud monumentum inscribi CCCXVIII. Episcopis, quod idem est, ac dicere, referendum esse ad Nicænum Concilium: atque id ita intelligendum est, non quasi ea formula edita fuerit in Nicæno Concilio, sed quasi ea formula edita fuerit in executionem decretorum Nicæni Concilii, quibus cavebatur, ne sine consensu Episcopi Clericus quisquam ab Ecclesia sua secederet, can. 3. dist. 71. Additum deinde fuit à Gratiano: *Et abbatibus Constantinopolitanae urbis Episcopo*. Mendum in hæc verba irrepisse nemo non videt, ad cujus correctionem Romani Correctores ita conati sunt substituere: *Et ab Attico Constantinopolitanae urbis Episcopo*, proferentes, se locum restituisse ex conjectura, quoniam evidenti ratione innitebatur. Equidem evidens ratio emendationem suadebat, an verò scribendum esset ab Attico pro voce *Abbatibus*, conjectura moveri se potestati sunt, quia inter Episcopos Constantinopolitanos fuit sæculo quinto Atticus Sebastenus. In meis animadversionibus in Gratianum censui, eam formulam tri-

buendam potius esse Wolfeoni Episcopo Constantiensi, dum hic ad Bernaltum Argentoratensem Episcopum scriberet gratia Clerici Annonis, cui formatam litteram dederat. Reverà hoc posito consonat Gratianum monumentum. Etenim præter notas singulis formatis communes, consignanda erat prima littera nominis Wolfeonis T, quæ conficiebat numerum 400., & huc pertinet, quod in fine canonis legitur: T *Gracum* in nomine illius primam ponimus, quia Graci etiam in quibusdam locis pro V. consonante ponunt. Insuper consignanda erat secunda littera Bernalti E, quæ indicat numerum 5., præterea tertia littera Annonis N, quæ conficit numerum 50., item quarta littera urbis Constantiensis, S, quæ refert numerum 200., ac denique decima inditio. Hæc singula si conjungantur numeris, qui communes sunt, conficiunt numerum 1325., quod in aliquibus Gratianis codicibus legitur. Quòd si retineat velis vulgatam Gratiani editionem, ponere numerum 1215., tunc vice *Annonis* legendum erit nomen *Hermannii*, uti Gratianus scribere voluit, & cum quarta littera hujus nominis sit M (non N, uti in nomine Annonis) reddatque numerum minorem, id est 40., emerget tunc numerus 1215., nunquam tamen sustineri poterit nomen Attici, cujus prima littera cum referat numerum 1., semper refert numerum longè minorem, nimirum aut 906., si fingas commendatitiam litteram concessam fuisse Annoni, aut 906., si fingas concessam Hermannio. Erat hæc vetusta mediæ ætatis disciplina, à qua deinde recessum est. Verùm cum intima Ecclesie sententia edispeçaret, ut omnis sollicitudo adhiberetur, ne Clericis passim admitterentur in extraneis urbibus, quoties ab Episcopis suis non petita facultate recederent, in hac sanè parte adhuc observari decet mentem Ecclesie; proindeque graviter acriterque in id incumbi oportet, ut Episcopi dimissorias litteras non indefinite concedant, sed ad certa tantum loca pro-

fecturi, ne aliàs eveniat, Clericos non tantum à diocesibus in alias migrare, sed etiam quæsi peregrinantium more vitam in incerta sede traducere. Item maxime decet, Ordinarios, in quorum diocesim Clerici se recipiunt, solerter investigare, an formata epistola eos reverà habeat auctores Antistites, qui designantur, eò maturiore super ea re discussione facta, quò remotior est diocesis

à qua Clericus discessit, argumento capituli 1. de Clericis peregrinis. Cæterum si ageretur de Clericis in vicinia constitutis, propterea que notis, aliquando remittebatur formatarum disciplina, uti colligitur ex Concilio Vasionensi anni 442., in quo definitum fuit, recipi Episcopos Gallia: de una in aliam Provinciam, dummodò intra Galliam, transseuntés etiam sine formatis.

CAPUT II.

De Clericis contra disciplinam ecclesiasticam delinquentibus.

Huc referendi sunt tit. 1. lib. 1., tit. 14. 24. & 25. lib. 5.

Parum aptè, adpositèque de Clericorum ordine saperet, qui putaret, illos morum integritate supra laicos excellere non oportere, neque alias leges servandas eisdem esse, quam quæ generaliter laicis imminet. Sui sunt singulares ad cleri honestatem & decus præstituti canones, quibus quòd addicantur obeundis sacris, & fungendo munere intercessorum apud Deum pro fidei populo, cogantur, ut sicut doctrina, ita & exemplis populum excitent ad divinam, item ut apud Deum non tam non delinquant, quàm optimè mereantur. Non ergo solum ab iis abstinere debent, quæ vel natura sui inhonestæ sunt, vel generalibus legibus prohibentur; sed & ab iis, in quibus vel rei minus honeste potest esse suspicio, vel à sacris officiis distraherentur. Quòd ut commodius eveniret, pluries conati sunt prudentissimi Ecclesiarum Antistites, ut Clericos universos in vitam communem vocarent; ea enim vitæ ratio ire obviam universis periculis videbatur; sive quòd à negotiis sæcularibus facilis averterentur, sive quòd disciplina unitas commodius servaretur, sive demùm quòd Ecclesiarum utilitatibus pressius consuleretur, cap. 9. de vita & honest. Cleric. Ve-

rùm vinci debuit injuriis temporum ecclesiasticis vitæ constitutio; proindeque eò saltem appellere animum Antistites debuerunt, ut quoniam loci unitas colligere non potuit Clericos, ac continere, unitas saltem, sive similitudo morum, disciplina, studiorum, & ferè universæ vitæ æquabilitas in omnibus existeret, & palmè conspiceretur. Primum & generaliter cautum est, ne sæcularibus negotiis operam darent, can. 26. dist. 86., can. 3. dist. 88., can. 1. 3. caus. 14. quest. 4., cap. 15. 16. de vita & honest. Cleric., cap. 1. & passim ne Clerici vel Mon., & alibi pluries, ita ut si forè Clerici sint inobedientes Episcopi sui præceptis, suspendi primum, deinde deponi ab officio debeant, si contumaces existant. Item cautum est, ut ab inhonestis publicis spectaculis absterent, sicut & à locis frequentandis, in quibus lascivie, aut ebrietati servitur, eadem indicta pena, cap. 12. 14. & 15. de vita & honest. Cleric. In iis quoque, quæ ad animi relaxationem pertinent, talem servari moderationem præceptum est, ut hinc Clerici ea de causa officio suo non desint, illic nemini offendiculum præstant. Vulgaris est in banc rem questio de

Clericis venatoribus, in qua alii in eam opinionem iverunt, ut Clericis quocumque venationum genere interdiceretur quod generaliter arma deferre non possint, cap. 2. de vita & honest. Cler., & quod venatio ipsa sacris canonibus non probetur natura sui, can. 8. 9. 10. 11. 12. 13. dist. 86., alii clamorosam, ut ajunt, seu cum strepitu factam venationem tantummodo illicitam Clericis adfirmarunt, ad quam scripserunt: pertinere capitulum 1. & 2. de Clerico venatore, sicut & caput 12. sessionis 24. Tridentinae de Reform., ubi tantum interdicitur est Clericis, ne venationibus & aucupii illiis intendere. Ego sanè in proposito non nihil deliberandum puto. Etenim video, canones aliquot ab ingenita suorum auctorum sententia fuisse detortos, quales præ ceteris sunt canones 8. & sequentes dist. 86. Recentiores in eorum conspectu valde hallucinati sunt, quòd sub venationis nomine aliam venationis speciem intelligere nesciverunt, quam eam, quæ suis temporibus in usu erat. Venatorum nomen olim significavit illos, qui publicis ludis venationum vocabulo nuncupatis, & in Deorum honorem æthnica superstitione institutis, exercebantur, cum feris bestiis intra certos aræ, seu theatri limites clausis acriter contentione pugnantes, qui usus non solum primis tribus Ecclesiæ sæculis, sed etiam multò postea viguit, quemadmodum de suis temporibus testatur Cassiodorus, imò & Justinianus Imperator in Novel. 105. Hujusmodi erat ætate Severi & Antonini Chrysantianum certamen, de quo agitur in l. penult. ff. de annis legis, quod ita dictum fuit à Chrysantio quodam ludi institutore, cuius formam si agnoscere velis, statim intelliges apud Gutherium in lib. 3. de jure manium cap. 27. Id ipsum perspicue demonstrant verba legis 4. ff. de administrat. rer. ad civit. pertinent., ubi proponitur species de legato civitati relicto, ut ex redditu ejus venatio, aut spectacula edantur. Item in l. 122. ff. de le-

gat. 1. venatio ludis scenicis, & circensibus admiscetur, eademque dicitur ad honorem civitatis pertinere. De hujusmodi ludis etiam mentio fit in l. 1. §. 6. ff. de postulando, ubi fusus est sermo de iis, qui publicè cum bestiis pugnant, qui promiscuè dicuntur nunc de pugnatore ferarum nunc ferarum venari. Quidquid extat in codice Theodosiano in lib. 15. titulus de venatione ferarum medius inter titulos de equis curulibus, & de Gladiatoribus, eui & consonat codex Justinianicus, ubi in lib. 11. idem titulus de venatione ferarum medius collocatur inter titulum de Gladiatoribus, & titulum de Majuma, quæ omnia inter publica spectacula recenseri nemo ignorat? Memorat quoque hos ludos Alexander ab Alexandro in lib. 6. genialium dierum cap. 19. scribens: *Singulis Diis singuli erant dicati ludi, quippe venationes & munera Saturno, Scenici Libero, Circenses Neptuno, &c.* Perspicuum pariter est Auli Gellii testimonium in lib. 5. noctium Atticarum cap. 14. pulcherrimam historiam de quodam, qui in Amphitheatrum cum leonibus, & aliis bestiis pugnaturus processerat, his verbis adgredientis: *In circummaximo venationes amplissima pugna dabatur populo &c.* Vopiscus in Aureliano eodem ludos venationis nomine appellavit, ibi: *Sequentibus diebus data sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachis.* Sed & memoratum Cassiodorum non prætereo, qui in lib. 5. variarum 42. ita scribit de venatoribus suæ ætatis: *Quo munere venator explendus est, qui ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? Voluptatem præstat sanguine suo, & infelicis sorte contritus festinat populo placere, qui enim non optat evadere, alius detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire.* Duo ex his tanquam certata colliguntur. Primum est, publicas hominum, & bestiarum pugnas apud veteres venationum nomine designatas fuisse. Alterum est, hoc venationum genus displicuisse etiam philosophis æthnicis,

prop-

proptereaquod & inhumanum videretur, venatores illos æmulari, atque induere ferociam belluarum, & parum honestum foret, spectatores ita in Amphitheatro adsidere, ut optarent mortem venatoris. Ad rem Seneca de tranquillitate cap. 11. ita scribebat: *Gladiatores (inquit Cicerò) invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupimus; favemus, si contemptum ejus præferimus.* Christiani Imperatores veterem hanc venationum consuetudinem initio quidem non omnino aboleverunt; sed sibi quandoquæ indicendam reservaverunt, l. 1. & 2. cod. Theod. de venat. ferar., ex quibus conflata est lex un. cod. Just. eod. tit. Novel. 105. cap. 1., imò & quando viris prudentissimis, præsertim Cassiodoro modò laudato, detestabilis visa est, paulatim ab usu recessit. Itaque, quid prohibet, quominus veterum Patrum, Hieronymi, Ambrosii (si tamen Hieronymus, & Ambrosius sunt auctores canonum 11. 12. & 13. dist. 86.) & Augustini sententias in dicta dist. 86. de eadem venationum specie intelligamus, quando apud ipsos legimus, non nisi per quoddam scelus venationibus operam dari? Canones 8. 9. & 10., qui sunt S. Augustini, ita concepti sunt, ut non nisi de hac venationum, & venatorum specie intelligi possint. In canone 8. ii, qui venatoribus donant, æquiparantur iis, qui donant histrionibus, dicuntur etiam amare in venatoribus illud, in quo nequissimi sunt; & venatio ipsa dicitur nequitia publica exposita oculis omnium. In canone 9. dicitur venatio aris nequissima, cujus causa non jure fiunt donationes; & in canone 10. improbantur ii, qui delectantur in conspectu venatorum. Quid aliud ista significant, quam publicam venantium pugnam? Canon 11. S. Hieronymo tributator Hieronymi non est, quemadmodum demonstravi in meis lucubrationibus in eodidem Gratianum, etenim commentaria in Psalmos, ex quibus canon ille depromptus est, scateant undique sole-

cismis, stylo demisso & humili conscripta adparent, allegoricis figuris, sæpè etiam parum aptis adumbrata, quæ sæpè præseferre non possunt Hieronymi manum, Cuiusmodi autem canon ille tribuatur auctori, nullum facisset negotium, quoties ad integra autographi exemplaria exigatur. Siquidem auctor sub Hieronymi nomine expendens verba Psalmi 90. *Ipsè liberabit me de laqueo venantium, ita scribit: Multi sunt venatores in isto mundo, qui animam nostram venari conantur.* Denique Nembrod ille gigas magnus in conspectu Dei venator fuit, & Esau venator erat, quoniam peccator erat; & penitus non invenimus in scripturis sanctis Sanctorum aliquem venatorem, piscatores invenimus Sanctos. Nihil adicio ad canones 12. & 13., quamquam enim tutò adfirmari posset, eos falsò Ambrosio fuisse tributos, notatu tamen dignum est, in iis non ipsam venationem improbari, sed tantum objurgari eos, qui oblectationibus indulgent diebus jejuniarum, & quando jejuniorum dies consecrari oportet orationibus, ac meditationibus rerum divinaram, eos potius in sylvaticis vagationibus impendunt. Sententiam Ambrosio tributam interpretetur Ambrosius, qui in homilia 27. ita scribebat: *Quam bene autem jejuniorum tempore verbum Dei dixit esse, quod reficit, ut ostenderet, jejunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri?* Post hanc germanam laudatorum canonum interpretationem, evanescit meo judicio turpissima illa venationis imago, quam decisa illa canonum fragmenta exhibebant, & quibus si inherendum esset, non Clericis tantum, sed & laicis universis interdicitum esse venationibus demonstraretur. Quamobrem cum nihil aliud in medium proferri possit, quam duo monumenta, quæ in Gregorianum titulum de Clerico venatore translata fuerunt ex collectione Gratiani, videlicet ex can. 2. & 3. dist. 34., quorum primum est Concilii Epaoensis anni 517.; alterum Concilii Francici, seu Germanici anni 742., dicam

X2

ibi

ibidem Clericis, & religiosis viris indictum fuisse illis venationibus, quæ Clericos eodem ab officio sacro distraherent quemadmodum indicant verba illa: *In hac voluptate sapius detentus fuerit, & sylvaticas vagationes; atque ad hanc speciem referri oportere concludemus laudatum Concilii Tridentini decretum in cap. 12. sess. 24. de Reform., ubi statuitur, ne Clerici illicitis venationibus vacent. Paucis rem colligamus. Sententia canonum est, ne venationi, sicut & cuicumque oblectationum generi, plus æquo Clerici indulgeant: Sententia canonum est, ut modus in indulgendo servetur: Sententia canonum est, ut decor & honestas clericalis custodiatur. Ubi unum ex his deficit, ad Prælatorum officium pertinet, attenta qualitate temporum, personarum, locorum, salubria præcepta statuere, à quibus non liceat Clericis ullo modo recedere; quin tamen aut venatio ipsa, qualis hodie fieri solet, per se improba dicatur, aut eò cogamur appellere, ut distinctionem illam clamorosæ, & quietæ venationis sacris canonibus prorsus incognitam, fortè etiam à sententia canonum alienam, sequamur, adprobemus.*

Quod severius, & arctius Clericis prohibendum fuit, eò pertinet, ut iidem rixas omnes, & strepitus armorum evitent, cap. 2. de vita, & honest. Cleric., eove magis à privatiss certaminibus abhorreant; quamobrem non solum irregulares erunt, quotiescumque hominem in duello occiderint, aut mutilaverint, vel occidi, aut mutilari mandaverint, cap. 2. de Cleric. pugn. in duell., sed etiam deponendi erunt, si duellum obtulerint, aut oblatum susceperint, sive vincant, sive vincantur; quamquam in hac specie Episcopi arbitrio relinquatur indulgentiam facere, quoties nec homicidium, nec mutilatio subsequatur, cap. 1. eod. tit. Ut autem à cædibus magis magisque Clerici abhorrent, sub depositionis pena ipsis indictum fuit, ne militiæ armatæ nomen darent, can. 83. ex apos-

tolicis, can. 3. caus. 20. quæst. 3., cap. 9. §. ult. de voto, cap. 25. de sentent. excom., nisi ageretur de bello, uti vocant, defensivo ad injuriam hostium repellendam, incundoque ab ipsis cum moderamine inculpata tutelæ cap. 2. & 18. de homicidio; in hac enim specie etiam Clericis jure imponitur onus defendendæ civitatis, cap. 2. de immunit. Eccles., argumento can. 5. caus. 23. quæst. 3. Neque his obstat canon 36. dist. 50., utpotè qui ad eos referendus est, qui nullam moderatorem belli causa servaverant. Item ex Apostolica Pauli doctrina epist. 1. ad Timotheum cap. 3. sacri Antistites voluerunt, ne Clerici quemquam caderent, aut percuterent, ita ut cædentes, vel percutientes graviter corripiendi sint, & si non resipuerint, deponendi, can. 1. & sequentibus dist. 45., cap. 1. de Clerico percussore.

Inquirendum etiam fuit in Clericorum studia, & bonas artes, ut ab iis addiscendis temperarent, quæ illorum conditioni minus apta videntur, & totos se rebus divinis, & sacris addicerent. Ecquidem olim non fuit opus canonum sanctionibus aut numero plurimis, aut vi vehementibus, ut Clerici de suo munere admonerentur: spontè enim unusquisque suis officiis incumberebat. At postquam devenit est ad obscuram, & pœnè ferrea sæcula, decimum dico, & undecimum, obrutus est clerus universus densissima rerum caligine, seu ignorantia. Primus inter monachos Desiderius Cassinensis Abbas, qui inde fuit Victor III. anno 1086., uti liquet ex chronica Cassinensi lib. 3. cap. 63., exemplaria quædam edi curavit & novellarum, & institutionum juris Justiniani. Hinc primum emergere cepit inter monachos studium juris Romani, quod facillè ad Clericos traductum est, præsertim eos, qui vitam regularem Monachorumve exemplo profitebantur; illi autem, qui inter Monachos, aut Clericos uberiore juris periti eminebant, exinde sumebant-

oc-

occasionem, ut extra claustra, vel Ecclesias exeuntes negotia secularia, modò in foro Advocatorum more, curatorumve agerent, modò Judicis suscepto munere desinirent, cujuscumque generis negotia forent, sive civilia, sive criminalia. Præterea appulerant eodem tempore Arabes in Italiam, professi Physicorum, seu Medicorum artes ex Aristotele, Hippocrate, & Galeno derivatas; his autem facillè fuit omnium pœnè sibi conciliare admirationem, ne benevolentiam, & gratiam dixerim, ut non satis exculiti essent: etenim inter desides & hebetes homines quasi cælestes virtutes è cælo delapsæ videbantur. Ipsi soli Philosophi audiebant, & Medici, quorum imitatione statim quicumque amore bonarum artium tangebantur, & in Physicæ, & in Medicæ artis studia se conferebant, etiam si Monachi essent, aut Clerici, utpotè qui sperabant, se professione istarum artium futuros cuicumque acceptissimos. Hinc vel ipsi majores Prælati, & Abbates physicam, seu medicinam profitebantur. Sic Fulbertus Carnotensis Episcopus, aliusque Antistites, ipse etiam Petrus Lombardus Magister sententiarum medicam artem professus est, qualem & Monachi numero plurimi, præsertim apud Principes. Adde cap. 7. de atat. & qual. præf. Itaque dum & juris, & physicarum rerum scientia Clericos æquè ac Monachos detinebat, negligebatur cura sacrorum, & monasticæ solitudinì vale dicebatur. Primum in Lateranensi Concilio Innocentii II. anni 1139. can. 9. vetitum Monachis, & Canonicis regularibus fuit, ne leges sæculares, & medicinam addicerent, aut exercerent, ut inde totas vires intenderent potius in studia Theologiæ, quæ tùm primum instaurari cepertant, instituente præceteris Petro Lombardo, quem eodem tempore alia ex parte emulatus est monachus Gratianus, renovans studia veterum canonum. Qua in re observatione dignum est, Lateranensem canonem fuis-

se omninò executioni mandatam in ea parte, qua interdiceretur Physicæ studiis; in ea autem parte, qua interdiceretur studiis legum, modus adjectus est ex prudenti interpretatione, ut quidem & Monachi, & Canonici regulares abstinere à causarum patrocinis, & judiciis publicis, adhuc tamen studiis legum Romanarum eatenus operam dare valerent, quatenus studiis juris Romani adjuvari possent studia legum Ecclesiasticarum, quod primum factò suo visus est insinuavisse monachus Gratianus, qui dum eo tempore canonum monumenta compilaret, varia legum Romanarum monumenta aduere non dubitavit; deinde visus est comprobavisse Lucius III., dum in cap. 1. de novi oper. nunc. scripsit, *sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvari.* Laudatum canonem Lateranensem renovavit Alexander III. in Turonensi Concilio anni 1163., cap. 3. ne Clerici vel Monachi, quo cautum est, ne regulares (intellige vel Monachos, & Canonicos regulares juxta canonem Lateranensem modò laudatum) *ad legendas leges, vel sectiones physicas ponderandas de claustris suis exirent.* Duo erant effugia, quibus Regulares disciplinam Concilii Lateranensis evadere satagebant. Ajebant primum, se ad academias invitari ad legendas leges, vel physicas artes, quasi ipsi præ ceteris eas disciplinas callerent, quas præcipue ipsi olim excoluerant. Ajebant deinde, se ideo medicinæ operam dare, quòd forent languentibus in monasterio fratribus opem daturi, aut se operam navare legum studiis, quòd forent fidelius ecclesiastica negotia tractaturi. Veritus Alexander III., ne occasione scientiæ spiritualis viri mundanis viisus actionibus involverentur, prætextus illos omninò rejecit. Interea in his canonibus præceptum spectabat tantùm Monachos, & Canonicos regulares, nondum tamen Clericos universos. Quando verò absurdum Clericis erat, imò etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse fovendum, uti legitur in l. 41. eod. de

Episc.

Episc. & Cleric. cautum deinde fuit in Lateranensi Concilio Alexandri III. anni 1179., ut Generaliter Clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, imò & in minoribus, si stipendiis Ecclesiæ sustentarentur, ab officio advocacionis in iudiciis sæcularibus, nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt; item ut abstinere ab officio iudicis laicorum nomine, & auctoritate exercendo, cap. 1. de postulando, cap. 4. ne Clerici vel Monachi. Præsertim verò prohibitum est, ne iudicium sanguinis exercerent cap. 5. & 9. eod. tit. Innocentius III. in cap. 2. de postulando declaravit, Monachos æquè ac Canonicos regulares patrocinium posse suscipere causarum, in quibus Monasterii utilitas versatur. Denique Honorius III. in cap. 10. ne Clerici vel Monachi statutum Lateranensis, & Turonensis Conciliorum Alexandri III. de Monachis & Canonicis regularibus conceptum ad Clericos universos extendit, statuens, ne Clerici, aut physicam artem, aut legum disciplinam profiterentur; quod tamen ita intelligendum est, quemadmodum explicati fuerunt Alexandri III. canones; nimirum ut eatenus juris Romani studii interdicatur, quatenus, & in qua parte non conducant ad adsequendam juris ecclesiastici notitiam, & à sacris officiis distrahant, & quatenus opus minime sit ad Ecclesias defendendas, atque tuendas. Recentioribus sæculis, postquam præsertim Theologiæ studia magno, uti decuit, in pretio ac cultu haberi ceperunt, relaxatus est paulisper eorum canonum rigor, qui eò præcipuè tendebat, non tam ut averterentur Clerici à studiis Romanarum legum, quam ut divina studia inirent; proptereaque Universitatibus studiorum ferè omnibus concessa fuerunt privilegia etiam auctoritate Pontificum Maximorum, quorum vi Clerici possent studiis legum navare operam, ac sollicitudinem

singularem; proptereaquod docuit experientia, legum Romanarum peritiam Clericis perutilem existisse, ac fore. De exteriori quoque habitus cultu à Clericis tenendo sollicita fuit Ecclesiæ, & quidem primò in ea vestium specie quæ in sacris celebrandis mysteriis adhiberetur. Recentior sanè usus perspicuè demonstrat, multò diversa à communibus esse sacra indumenta, imò & disciplinæ hujus argumenta jam adparent sæculo quarto (consulto omitto, tanquam apocryphum, monumentum Stephani Papæ in can. 42. de consecr. dist. 1.) etenim Hieronymus in caput 44. Ezechielis ita scribebat: *Habet religio divina alterum habitum in ministerio altaris, alterum u. u. vitæque communis.* Verum an id ut ab Apostolis ipsis præceptum fuerit, aut consuetudine inducitur, est prorsus incertum; quemadmodum incerti etiam existus esset labor illius, qui vellet temporibus definire, quibus aut aliquid novi in ea re inventum fuerit, aut unum ornamentum sacri genus in aliud commutatam, aut una vel altera res novam formam & figuram acceperit, quoniam & varii fuerunt Provinciarum, & varii temporum, varii etiam personarum mores. Casulas ita dictas, quòd instar parvulæ casæ totum hominem tegerent, laicorum etiam aliquando fuisse indumentum testis est Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni lib. 4. cap. 83., & Isidorus Hispalensis in regula Monachorum cap. 13., ubi dum monachis interdicitur usu sæcularium indumentorum, casula mentio habetur. Hanc itidem casulam hodie intuemur veterem amissis figuram, cum valde decisa fuerit, & decurtata. Quo autem tempore laici equè ac Clerici casulis tanquam civili veste utebantur, verosimile admodum est, Sacerdotes causa sacrificii aliam casulam induisse, eamque non solum singulari prece Deo dicatam, sed & sacris figuris ornatam, uti hodie quædam superant hujus rei vestigia in lincis ad crucis figuram accommodatis, Alba ad talos

los usque diffluens, & singulo collecta vulgare aliquando fuit Sacerdotum, dum in publicum prodirent, & iter haberent, indumentum, quamquam sacrorum tempore aliam in Diaconico albam induere tenebantur, quemadmodum manifestè probant Synodales duæ admonitiones veteres, quarum prior habetur apud Reginsonem initio collectionis num. 66., altera edita à Balutio ad calcem Reginsonis pag. 603. ibi: *si absque alba, & cum illa alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.* Ad hujus albæ similitudinem Clericis inferioribus concessa fuit brevior quædam alba, ne si longius difflueret, minus expeditos eos sacris ministeriis redderet. Olim quoque prohibebantur Sacerdotes, ne sine stola, quam orarium veteres appellaverunt, etiam per vias incederent, can. 25. caus. 17. quæst. 4., quod etiam ornamentum genus in Diaconorum ordinationibus adhibebatur, ita ut & stola Diaconi in signum oneris sacri suscepti uterentur. Hodie solus Pontifex Maximus ubique utitur stola, Sacerdotes autem, aut Diaconi tantum in sacris ministeriis pro munere singulorum. Quid dicim de alio orarii genere, quo primùm usus fuit Romanis populus in publicis Imperatorum acclamationibus cum unaqueque linteolum sinistra erigens & volutans, publicam lætitiæ significaret, uti tradit Vopiseus in Aureliano? Similis enim mappula concessa jamdiu fuit Sacerdotibus primùm, ac Diaconis, deinde etiam Subdiaconis, inter sacra solemnia ad duplicem usum, primùm ad ora tergenda, præsertim dum Sacerdotes, aut Diaconi publice prædicarent, unde orarii nomen accepit, secundo ad significandum populo vel standi, vel genuflectendi, vel accedendi, vel recedendi tempus, atque ejus deinde loco recedens manipulus successit. Olim quoque tempore casula undique difflabat, nec colligebatur ad brachia, nisi post factam confessionem, Sacerdotes manipulum inducunt post collectam casulam,

seu post factam confessionem. Hodie hujus consuetudinis vestigium tantum apud Episcopos superest. Quid dicam de anaboladio (hodie amictum appellant) apud Clericos invento circa sæculum octavum, ut colli nuda tegeret, primùm supra albam imposito, deinde infra albam more Romano, aliquandiu supra caput, uti hodie apud Monachos adhuc viget, deinde infra caput, postquam parvulorum birrum usus invaluit ad capitis tegumentum? Hæc omnia sensim inolevere, modò ad majorum modò ad minorum administrorum usum variis formis accommodata, qua in re nihil aptius proponi potest, quam singularium Ecclesiarum receptus ritus sequendus esse. Quid si de Clericorum habitu sermo sit extra sacra officia deferendo, certissimum est, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis illum non fuisse distinctum ab habitu laicorum, quamquam generaliter tunc decerni solet, ne in illo singularis decor sollicitè quaereretur, can. 8. dist. 41. Evidens hujus rei argumentum deducitur ex epistola Caestini I. ad Episcopos Provincia Viennensis, & Narbonensis in qua inter cætera de Sacerdotum vestibus ita legitur: *Discernendi est plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu; item ex epistola 17. Hieronymi, ibi: Quicumque novissimus fuerit, hic prius putari, in veste nulla di creta, nulla adhibita: in cunctis placere incedere, nec detractionis est, nec laudis. Officere ceperat quarto sæculo in Italia nonnullorum consuetudo, qui Romanæ toge perterriti peregrinos habitus ad morem altarum gentium compositos inducunt; quamobrem Imperatores omni sollicitudine curaverunt, ne civis Romani seu Romani incolentes, seu Civitate donati & alibi residentes, formam habitus veterem immutarent, id est abstinerent à majoribus civibus, à terrore clamydis, à regis, & tzangis, seu pellitis quibusdam Gothorum vestibus, servis tantummodo concessa usum birrorum, & cucullarum, &*

& sequentibus cod. Theod. de habitu quo uti oportet intra urbem. Eo propterea minus passi fuerunt Ecclesiarum Antistes, vestes peregrinas in clerum induci, stantes, ut prisca albæ togæ supra tunicam pariter albam imposita consuetudo retineretur, can. 2. & 3. caus. 21. quæst. 4. Formam tendendi, non radendi capitis aperte tradidit Gregorius Magnus in Pastoralis cap. 7., in epist. 25. lib. 1. indictione 9., & in epist. 4. lib. 7. indictione 15. his verbis: *Quia igitur cuncti qui presunt, habere quidem sollicitudines & exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes rectè, & caput prohibentur radere, & comam nutrire, ut cogitationes carnales de vita subditorum, nec à se funditis ampuent, nec minus ad crescendo similiter relaxent. Ubi & bene dicitur: tendentes tondent capita sua, ut scilicet cura temporalis sollicitudines, & quantum necesse est, producant, & tamen revidantur citius, ne immoderatus excrescant.* Non equaliter tamen adtondebantur capilli, sicut mos erat laicorum Apostolica ætate, ut docet Paulus in 1. ad Corinth. cap. 10., sed corona quædam capillum circa caput prodibat, & superius & inferius attonsis crinibus; quod deducitur ex Concilio Toletano IV. anni 630. can. 41. ibi: *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circum coronam reliquant, non sicut hucusque in Gallia partibus facere Lectores videntur, qui prolixius, ut laici, comas in solo capitis apice medicum circulum tondent.* Ritus enim iste in Hispania hucusque hereticorum fuit. Hanc eandem clericæ tonsuræ formam exhibuerunt sæculo septimo S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum sacrarum, Gregorius Turonensis de vitis Patrum cap. 17. & Beda lib. 4. historiæ Anglorum cap. 1. Adde-possunt Isidorum Mercatorem in can. 21. dist. 23. ad disciplinam septimi sæculi confirmandam. Eisdem etiam sæculis secerni cœperunt in vestibus à laicis Clerici, quod probat Gregorius Turonensis in

lib. 5. histor. Franc. cap. 14., Concilium Trullanum in can. 2. caus. 21. quæst. 4., Concilium Germanicum sub Bonifacio anni 742. can. 7., & Concilium Romanum Zachariæ anni 743. in can. 3. caus. 21. quæst. 4., quamquam certò definiti non possit, nec quis esset habitus color, nec qualis esset undecumque figura. Verosimile tamen est, vestes illas neque fulgidas colore fuisse, sed aut albas, aut pullas, seu nigricantes postquam præsertim pullos, seu nigricantes habitus Monachi induerunt, imitantibus hac in re sive Monachis, sive Clericis veterum Philosophorum modestiam, qui hujusmodi indumentis amici incedere solebant; item verosimile est, modò ad similitudinem togarum veterum vestes clericales fuisse contextas, ne Clerici viderentur ab habitu civili recedere, & barbararum gentium novos habitus adamare, modò ad similitudinem palliorum, quibus veteres Philosophi simplicioris indumenti causa urebantur; tunicas propterea, sive casulas appellatas, quas deinde in Lateranensi Concilio anni 1215. decretum fuit, nec nimia brevitatem, nec nimia longitudine esse notandas, imò & adjectum est, indumenta rubri viridise coloris ab Ecclesia improbari, cap. 15. de vita, & honest. Cleric. Concilium Tridentinum nihil in hac re singulare constituit. Tantum in sess. 14. cap. 6. de Ref. generaliter mandavit, ut habitus Clericorum proprio ordini congruere debeat juxta Episcoporum ordinationes, & mandata, indicta adversus inobedientes pena suspensionis, aut privationis beneficiorum officiorumve adversus contumaces, innovata constitutione Viennensis Concilii in Clem. 2. de vita & honestate Clericorum, ex quibus omnibus duo veluti consecraria colliguntur. Primum est, semper Ecclesiam optavisse, ut Clerici etiam in exteriore habitu singularem modestiam præferrent; alterum est, in determinatione habitus speciali plurimum discrecionibus, & ordinariorum Antistitum constitutionibus, deferri oportere.

CA-

CAPUT III.

Singularia quædam expenduntur, quæ spectant judicia criminalia Clericorum.

IN Clericorum causis illud singulare semper viguit olim, ut semel damnati in pristinum honorem restitui nequam possent, eove minus ad majorem gradum promoveri, etiam si peracta penitentia & Deo, & Ecclesie satisfecissent, can. 1. 2. & passim dist. 50., nisi forte quædam singulares causæ mitiorem disciplinam postularent, non quidem gratia singulari personarum sed publica suadente utilitate, quemadmodum in Africana Ecclesia cum Donatistis actum fuisse probatur, can. 23. & 25. dist. 50., cap. 1. de Parochiis. Apertissima erat generalis regulæ ratio: nimirum quamquam verum sit, per penitentiam sincerè exactam hominem Deo reconciliari, intererat tamen, ne penitentes, quorum non integra, sed veluti reparata virtus esset, inter dignitates honoresque sacros locum invenirent. Neque aliud in contrarium probant exempla illa numero plurima, quæ adferuntur in can. 13. dist. 50., præterquam quod enim ibidem sub incerto nomine auctoris multa narrantur ab historica veritate aliena, Episcopi illi fermè omnes non fuerunt post lapsum restituti sed potius ab adversariorum calumniis, quarum causa injuria dejecti pridem fuerant, renovato judicio vindicati. Qui plura ad explicationem hujus momenti desiderat, inveniet in meis animadversionibus in Gratianum. Primum verus illa disciplina oboleri cœpit post inventas Mercatoris Decretales, in quibus passim traditum est, Clericos post lapsum & penitentiam posse restitui in pristinum gradum, can. 14. 16. 24. & 28. dist. 50. Qui profectò non ignorat, quanti habita fuerit media Ecclesiæ ætate

horum monumentorum auctoritas, facile percipit, exinde abiisse in vulgarem disciplinam, qua fieret, quemadmodum etiam hodie viget, ut arbitrio judicis remitteretur, vel lapsos penitentes in pristinum honorem reducere, vel in perpetuum ab officio excludere.

Si queratur de judicibus, ad quos spectet in criminalibus Clericorum, & ecclesiasticis causis sententiam pronuntiare, non est dubitandum, eam potestatem penes Episcopos esse, eosque omnes, qui quasi episcopali jurisdictione funguntur, quotiescumque de Clericis inferioribus criminum reis agatur, data damnatis facultate ad Provinciale Concilium, vel etiam extra Concilium ad superiorem judicem provocandi, can. 45. caus. 11. quæst. 3., can. 2. & 5. caus. 21. quæst. 5. sed quoties adversus ipsos Episcopos judicium sit instituendum, variam fuisse pro varietate temporum disciplinam deprehendo. Olim instituebatur hoc judicium in Synodo Provinciali, can. 1. 2. 3. 5. caus. 6. quæst. 4., can. 6. & 7. caus. 11. quæst. 3. data tamen facultate, Sedem Apostolicam, si visum fuerit, appellandi, can. 7. caus. 6. quæst. 4. Solent qui contra sentiunt, in medium proferre canonem 8. & 10. caus. 3. quæst. 6., juncto can. 3. caus. 2. quæst. 4. At si non cortice tenus ea monumenta consideravissent, facile, arbitrator, agnovissent, in can. Leonem Magnum redarguisse Anastasium Thessalonicensem, quod plus æquo potestatem, non ordinariam, ad quem præsens disquisitio pertinet, sed Apostolici Vicariatus, quam dudum obtinuerat, extendisset; neque enim Anastasius eam jurisdictionem inconsulta Sede Apostolica

exercere poterat, quæ mandato, sive litteris Vicariatus, non continebatur: agnovissent præterea in dicto can. 10. & 3., subjectam tum fuisse Brittonum Provinciam variis controversiis, quibus pendebantibus non satis de finibus diocæseos, & de Metropolitæ persona apertè constabat. Eam ob rem Romanus Antistes potius ex quadam prudentia, & rerum gerendarum æconomia, quam ex juris disciplina rescripsit. Non opus est, hoc in loco ea temporum, & locorum adjuncta latè describere, quæ jam exhibui in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Quid autem mirum, si in iis adjunctis ad Apostolicam Sedem negotia ejus generis referenda dicerentur? Itaque septem prioribus sæculis constans fuit Provincialium Synodorum auctoritas, in quibus & damnari, & de juri Episcopi poterant, dummodò concors fuisset convenientium Antistitum sententia, can. 1. & 6. caus. 6. quæst. 4., cap. 3. de sentent. & re judic. ubi enim in diversas partes dividerentur suffragia, de vicina Provincia alter Metropolitanus, seu Primas accitus controversiam dirimebat, can. 2. & 3. caus. 6. quæst. 4. cui jungi potest argumentum capituli 13. de rescriptis. Isidorus Mercator de more suo novam in vexit disciplinam, passim tradens, Episcopos quidem provinciales causas Episcoporum posse discutere, accusationes recipere, exceptiones admittere, nunquam tamen pronuntiare sententiam, sed hanc à Sede Apostolica expectari oportere, can. 5. caus. 2. quæst. 1., can. 5. 6. 7. 9. & 11. caus. 3. quæst. 6. His decretalibus sensim eò devenit, ut iudicia criminalia Episcoporum deinde referrentur omnino ad Apostolicam Sedem, quod jam Gregorii IV. temporibus viguisse, liquet ex can. 2. dist. 12., quod tandem abiit in ordinariam disciplinam cap. 2. de transl. Episc., cap. 16. de hæret. in 6.

Hodierna disciplina apertè edita, ac stabilita deprehenditur in Concilio Tridentino cap. 6. 7. 8. de Reform. sess. 13. & cap. 5. de Reform. sess. 24. In cap. 6. cautum fuit, nunquam citandum esse Episcopum, vel monendum, ut personaliter compareat, etiam si ex officio, aut per inquisitionem seu denuntiationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, nisi ob causam, ex qua deponendus, sive privandus officio suo veniret; etenim ob leviores causas æquum non est, Episcopum cogi, ut diocæsim derelinquat, & non sine episcopalis honoris diminutione vagetur. In cap. 7. designandæ fuerunt qualitates testium in criminalibus Episcoporum causis admittendorum; debent enim illi testes esse, bonæ conversationis, existimationis, & famæ, facta facultate iudicibus, gravibus penis esse muleandi, si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint. In cap. 8. decretum, ut causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere Episcopi debeant, ad Pontificem Maximum referantur, ac per ipsum terminentur; quod ipsum renovatum fuit in dicto cap. 5., ubi aditum est, si hujusmodi sit causa quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus eam committi, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Pontifice Maximo eligendis, quæ commissio & specialis sit, & manu ipsius Pontificis Maximi signata, nec unquam delegatis plus tribuatur, quam ut solam facti instructionem sumant, processumqueificent, quem statim ad Romanum Antistitem transmittant, reservata illi sententia definitiva. Denique concluditur, minores criminales causas Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognosci, & terminari debere, vel à deputandis per Provinciale Concilium, utpotè quod Concilii nomine & cognoscere, & sententiam dicere intelliguntur.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA DE CRIMINIBUS UNICUIQUE SIVE IN CLERO, SIVE EXTRA CLERUM CONSTITUTO COMMUNIBUS.



UÆ, & quanta sub hoc themate sese objiciunt discutienda, nemo non videt. Quoniam verò multa ex istis ad civilis, aut publici juris Interpretes pertinent, multa forum Ecclesiæ internum, seu penitentiale respiciunt, contentus ero pauca quædam adnotare, quæ in externa Ec-

clesiæ disciplina consistunt, de criminibus homicidii, falsi, furti, damnæ injuria dati, ac denique usurarum, consultiò omittens quæ de adulterio, & damnatis ejus generis conjunctionibus discerere hujus esset instituti, quòd de iis aliàs, tanquam in opportuno loco, abundè dixerim, quum conjugiorum ritè celebrandorum jura persequeretur.

CAPUT I.

De pœna adversus homicidas canonibus præstituta.

Huc referendi sunt tituli 12. 13. & 15. lib. 5.

Charitas illa, quæ homines universos invicem ex ipso naturali jure veluti nexu devincit, unumquemque in officio ita continere debet, ne privata auctoritate alterius vitæ officiat, nedum insidietur, adeo ut ne propriam Pontificis animam quacumque de causa in discrimen adducat, etiam si de tuendo honore, malove evitando ageretur. Hanc rem pertractans Augustinus in lib. 1. de Civitate Dei cap. 18. & 19., unde de prompti sunt canones 3. 4. & 5. caus. 32. quæst. 5., ait, ne apud ipsas quidem gentes cæteroqui feras & immanes probari potuisse plus æquo religiosos homines, qui juxta Virgilianos versus sibi lethum insontes peperere manum, lucemque perosi projecere animas, & quibus ad suprema redire cupientibus fata obstant, tristisque palus immanibus unda alligat; & concludit: Neque

enim frustra in sanctis canonicis libris nusquam nobis divinitus præceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendo immortalitatis, vel nullius cavendi, cavendique mali causa nobismetipsos necem inferamus. Quibus inhæres vestigiis Clemens III. in cap. 11. de sepult. ideo voluit non denegandam sepulturam ecclesiasticam puellæ, utut ex causa honestissima fugienti, quia non spontè, sed casu quodam in flumen præcepit lapsa fuisset. Fortè negotium facessere potest Hieronymi auctoritas in can. 11. caus. 23. quæst. 5. scribentis, ne in persecutionibus quidem licere propria perire manu, absque eo ubi caritas periculatur. Siquidem observo in primis, Hieronymum hanc adjecisse exceptionem, non quidem ut eam probaret, sed ut insinuaret, posse id obnoxium esse disputationibus, quibus involvere se recu-

Y 2

52-